

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Caput 7. Ostenditur Traditiones necessariò esse admittendas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

CAPUT VIII.

Ostenditur Traditiones necessariò esse admittendas.

Existimant Sectarii omnem doctrinam ad salutem necessariam tam quoad fidem, quam quoad mores in Verbo Dei scripto contineri, ideo Verbum Dei non scriptum, sive Traditiones, omni conatu rejiciunt. E contra Traditiones necessariò admitti debere, & ad fidei Regulam pertinere, omnes Catholici docent, & demonstrant.

Primò: Quia multa sunt puncta fidei, quæ ex scripturis cognosci non possunt, sed ex sola Ecclesiæ traditione. Ergo Traditiones sunt necessariæ ut habeatur Regula fidei adæquata. Assumptum probatur, ex eo quod punctum sit fidei, extare Scripturas Divinas. Hoc autem ex ipsis Scripturis non potest certò constare. Quamvis enim Scriptura afferat se esse Divinam, non ideo certò constabit illam esse talem, nisi prius habeatur motivum credendi. Fide divina ipsam Scripturam, quæ hoc affirmat, esse Verbum Dei quod errare non potest. Sicut etiamsi in Alcorano Mahometi sàpè afferatur, ipsum Alcorani librum à Deo cœlitus missum esse, non ideo tamen illi credimus, aut tanquam à Deo missum recipimus. Ergo hoc punctum fidei quo credimus extare Sacras Scripturas, non potest haberi absque perpetua Ecclesiæ traditione, quæ testatur hos libros ab initio à Deo inspiratos & dictatos fuisse.

Secundò, Punctum fidei est etiam inter Sectarios receptum, diem Dominicum non Sabbathum

thum esse colendum : Baptizatos ab hæreticis,
non esse rebaptizandos : & apud Lutheranos
infantes dum baptizantur , per usum rationis,
internum fidei actum elicere,&c. De his tamen
Scriptura nihil omnino decernit. Ergo necessa-
rium est admittere aliquod Verbum Dei non
scriptum quo hæc credenda poponuntur.

Tertiò , Traditionum necessitas multiplici
Scripturarum testimonio comprobatur : &
præcipue ex S. Pauli Epist. 2. ad Theffal. cap. 2.
*Itaque fratres tenete Traditiones, quas accepistis sive per
Sermonem, sive per Epistolam nostram.* Ubi clare in-
dicat Apostolus , se multa tradidisse per solum
sermonem, quæ à Fidelibus non minus observari
velit , quam quæ per epistolam scriptam expo-
suit. Solo autem sermone ea se tradidisse ostendit,
cum sermonem suum ab epistola scripta di-
stinguat , apertè dicens *sive per sermonem, sive*
per epistolam. Ex hoc loco manifestè probari
Ecclesiæ Traditiones fide recipiendas docet S.
Chrysost. in eundum Apostoli locum. Hic patet
(inquit) quod non omnia per epistolas tradide-
rint , sed multa etiam sine litteris , eadem vero
fide digna sunt tam ista , quam illa. Quid clari-
rus ? Eodem prorsus modo de mente Apostoli
loquitur S. Basilius, Oecumenius, Theophilactus,,
Damascenus.

Quartò, Idem est de Traditionum necessitate
cæterorum Patrum ab ipso Ecclesiæ exordio
consensus. S. Dionysius Areopagita Pauli Apo-
stoli Discipulus , Ecclesiasticæ Hierar. *cap. 1.*
Primi , inquit , illi Sacerdotalis muneris Duces,
summa illa & substantialia partim scriptis ,
partim non scriptis institutionibus nobis tradi-
derunt.

S. Basilius cognomento Magnus anno post
D. 6 Chri-

Christum 369. Doctrinam hanc apertissimè exponit lib. de Spiritu Sancto cap. 29. Dogmata, inquit, que in Ecclesia servantur ac predicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata, que utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet. Ac plures ibidem traditiones non scriptas continuò subjungit, ut Symbolum esse Apostolorum, Unctionem in Sacramento Confirmationis adhibendam, aliaque quæ in Scripturis non memorantur.

S. Cyprianus, qui in Ecclesia Latina vixit secundo post Christum saeculo lib. 2. epist. 3. Admonitos, inquit, nos scias ut in Calice offerendo Dominica traditio servetur, nempe ut mixtus aquâ offeratur. De aqua in Calice miscenda, certe nuspian in Scripturis admonemur.

S. Hieronymus traditiones aperte agnoscit in epist. ad Marcellam de erroribus Montani. Nos, inquit, unam Quadragesimam ex Apostolica Traditione tempore nobis congruo jejunamus. Alios Patres eandem doctrinam uno ore profitentes brevitas studio prætermitto, qui dum hæc, aliaque ex traditione agenda proponunt, hoc ipso requirunt ut credamus ita agendum esse,

Augustinum tamen qui suo tempore Ecclesiæ primitivæ Conciliis interfuit, plurimasque hæreses debellavit, pro indubitata Traditionum authoritate sententiam ferentem audiamus in epist. 118. Illa, inquit, non scripta sed tradita custodimus, que quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi ea vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retinueri, sicut quod Dominica Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Adventus.

Adventus Spiritus sancti Anniversariâ Solemnitatem celebrantur. Et ne quis hoc loco dicat hanc traditionem non esse legem necessariam , postea distinguit illam contra observationes quasdam particulares, & non necessarias, dum subjungit, Alia verò quæ per loca terrarum Regionumque variantur liberas habent observationes.

Ex hoc Augustini loco colligitur Traditiones in Ecclesia alias esse *Apostolicas* , quæ ab Apostolis cum Spiritus sancti assistentia institutæ sunt ; & alias immediatè à Christo per Apostolos traditas , & ideo *Divine* nuncupantur. Alias denique esse *Ecclesiasticas* , quæ usu & authoritate Ecclesiae in Conciliis aut aliter vim legis obtinuerunt : nam in omni repub. rectè instituta non minorem vim habent consuetudines legitimè approbatæ , quam leges conscriptæ. De harum authoritate ibidem sic pronunciat Augustinus, *Insolentissima insania est disputare , an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

Ad cognoscendum autem quænam Apostolicæ Traditionis vim obtineant , hanc Regulam tradit idem August. lib. 4. de Baptismo *cap. 24.* Quod (inqnit) universa tenet Ecclesia ; nec in Conciliis institutum , sed semper retentum est , non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

Doctrinam hactenùs traditam tenuit semper universa Christi Ecclesia in *Conciliorum* Oecumenicis congregata , & contraria expresso anathemate damnatur in Concilio Nicæno 11. t. 4. art. 7. Si quis traditionem Ecclesiæ sive scripto sive consuetudine valentem non curaverit , anathema sit. Et Trident. primitivæ Ecclesiæ doctrinæ insistens Seff. 4. post decretum de *Scripturis Canonicis* sic declarat ; Traditiones

tam

tam ad fidem quam ad mores perrinentes , tanquam vel oretentis à Christo , vel à Spiritu sancto per Apostolos dictatas , pari pietatis affectu ac reverentiā sancta Synodus) veneratur.

His opponunt Sectarii aliqua Scripturæ loca , ut Isaiae 29. *In vanum colunt me docentes mandata & doctrinas hominum.* Et Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Denique 1. Petri 1. *Redempti estis de vana conversatione vestra paternæ traditionis.* Sed hæc omnia frustrâ adducuntur , cùm nullo modo agant de traditionibus novi Testamenti , quæ nondum in mundo erant , dum ista scriberentur. Ad solos autem Judæos illa verba diriguntur , quod ipsi præter Traditiones Divinas per Moysen acceptas , alias inducerent Legi Divinæ contrarias. Malè inde concludes , Id fecerunt Judæi , ergo idem facit Ecclesia Christiana.

Ex his patet , semper Ecclesiam Christi præter Scripturas etiam veras Traditiones ad Regulam Fidei necessariò admisisse , sine quibus nequidem constare posset aliquas Scripturas à Deo dictatas esse , aut has quæ in manibus versantur & non alias esse Divinas , aut plura alia Fidei dogmata in sola Traditione fundata.

Non sufficiunt tamen ad Regulam Fidei adæquatam Traditiones & Scriptura sacra , sine ulteriori Judice controversiarum , quem in Ecclesia Romana infallibilem esse in cap. sequenti demonstrabitur.

CA